



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

15. Augusti. Si scelus proximi nimiùm evidens bonæ mentis excusationem non admittit, non delinquentem, sed tentationis violentiam damna, cui, aut pejùs, aut pariter cessurus fuisse. S. Ignat. apud ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

encomiis, dum ipse panegyrista negligis,
ostendis factu impossibilem.

15. Augusti.

*Si scelus proximi nimium evidens bonæ
mentis excusationem non admittit, non des
linquentem, sed tentationis violentiam
damna, cui, aut pejus, aut pariter cessu-
rus fuisses. S. Ignat. apud Bart. f. 387.*

Compatiendum est ægro, non insul-
tandum, cum nescias, quod te fatum
expectet; quem hodie intactum præterit,
cras ferire poterit casus, huic obnoxii ma-
nemus, quam diu viatores sumus.

Quoties hominis fragilitatem vides, tuæ
totidem vicibus te crede admoneri; ut cau-
telam discas, non ut lapsum despicias. Sæ-
pe gravior lapsus alieni contemptus poena
fuit.

Dum' catulus fortè ictus gemit, timet
leo; tu nec innocentia præterita, nec tuo
tantum fide proposito, ut omnem peccati
metum ponas, præsumptio ista foret. Si
stellæ de cælo cadunt, quid sperent titio-
nes? aliena vitia, tua sint documenta.

Quis te alienorum dictorum, factorum
ve censorem constituit? quâ tibi authorita-
te

te iudicis munus arrogas? plures nunc interpretes sunt, quàm authores, plures iudices, quàm rei; nisi in horum numero iudices ipsi, violatæ charitatis rei, censeantur.

16. Augusti.

In curanda proximi salute autoritas necessaria est, sed ea, qua de vana illa mundi autoritate nihil participet. S. Ign. apud eund.

Aliud est fastus, aliud autoritas: illum doctrina, nobilitas, honor, aliæque naturæ dona, hanc inculpatæ vitæ norma, creant; quantùm hæc ad animarum curam utilis; tam noxius ille est.

Nec admirabili doctrinâ, nec insigni gradu, nec opibus, ad autoritatem opus est, sinè hoc sumptu comparari potest. Omnes ejus opes virtus sunt, & humilis animi demissio.

Grande supercilium plùs terret, quàm alliciat, sui contemptum citiùs, quàm affectum persuadebit; sinè hoc irritus est omnis conatus: non vincuntur animi nisi se sponte dedant.

Cervix erecta, frons severa, hostis argumenta sunt, non amici, opponet se his ani-